



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCXXXII. ad annum CCCCLI.

Parisiis, 1644

VI. Vt metropolitanus episcopus de electo, quem est ordinaturus episcopum, ad Thessalonicensem pontificem referat, & de metropolitani electo similiter prouinciales episcopi faciant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14584

fus concorditer postularit : ita vt si in aliam forte personam partium se vota diuiserint, metropolitani iudicio is alteri præferatur, qui maioribus & studiis iuuatur & meritis : tantum vt nullus inuitis & non petentibus ordinetur, ne plebs inuita episcopum non optatum aut contemnat, aut oderit, & fiat minus religiosa quam conuenit, cui non licuerit habere quem voluit.

VI.

De persona autem consecrandi episcopi, & de cleri plebisque consensu, metropolitanus episcopus ad fraternitatem tuam referat, quodque in prouincia bene placuit, scire te faciat; vt ordinationem rite celebrandam tua quoque firmet auctoritas. Quæ rectis dispositionibus nihil moræ aut difficultatis debet afferre, ne gregibus Domini diu desit cura pastorum. Metropolitano vero defuncto, cum in locum eius alius fuerit subrogandus, prouinciales episcopi ad ciuitatem metropolitanam conuenire debebunt, vt omnium clericorum atque omnium ciuium voluntate discussa, ex presbyteris eiusdem ecclesiæ, vel ex diaconibus optimus eligatur, de cuius nomine ad tuam notitiam prouinciales referant episcopi, impleturi vota poscentium, si quod ipsis placuit, tibi quoque placuisse cognouerint. Sicut enim iustas electiones nullis dilationibus volumus fatigari, ita nihil permittimus te ignorante præsumi.

Dist. 65. De
persona au-
tem.

Dist. 63.
Metropoli-
tano. Et
dist. 77. in
principio
distinctionis.

VII.

De Conciliis autem episcopalibus non aliud indicimus, quam sancti patres salubriter ordinarunt : vt scilicet bini Conuentus per annos singulos habeantur, in quibus de omnibus querelis, quæ inter diuersos ecclesiæ ordines nasci assolent, iudicetur. At si forte inter ipsos qui præfunt de maioribus (quod absit) peccatis causa nascatur, quæ prouinciali nequeat examine definiri; fraternitatem tuam de totius negotii qualitate metropolitanus curabit instruere, & si coram positis partibus, nec tuo fuerit res sopita iudicio, ad nostram cognitionem, quidquid illud est, transferatur.

Dist. 18. De
Conciliis.
Et in Decr.
l. 4.

VIII.

Si quis episcopus, mediocritate ciuitatis suæ despecta, administrationem loci celebrioris ambierit, & ad maio-

7. quest. 1.
Si quis epi-
scopus.